

IN FVNERE
LVDOVICI XVI.

GALLIAE ET NAVARRAE
REGIS CHRISTIANISSIMI

O R A T I O


HABITA IN SACELLO QVIRINALI
AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM

PIVM SEXTVM

P O N T. M A X.

A PAVLLO LEARDI CASALENSI

INTIMO EIVSDEM SANCTITATIS SVAE CVBICVLARIO




Tom. Mores, Gemase inv. e. del.

Alexander, Michetti incis.

ROMAE MDCCXCIII.

APVD LAZARINOS



Luigi Sabatelli inv.

Carlo Antonini inc.

PIO SESTO

PONTIFICI MAXIMO

PAVLVS LEARDI

N. M. Q. E.
DICATISSIMVS



IN hac funebri LVDOVICI
DECIMISEXTI Christianis-
simi Galliae Navarraeque Regis oratione

exaranda , illud in primis , BEATISSIME PATER , propositum mihi fuit , ut aerumnosissimam malorum seriem , quam crudelis tandem et miserabilis mors excepit absolvitque , non alio illi ex fonte obvenisse ostenderem , quam ex ejus beneficentia et religione . Simplex earum vicissitudinum commemoratio , quae ab Gallici regni perturbationis initio ad nostra haec usque tempora acciderunt , hanc optimo Principi laudem ita asserit , ut nullum dubitationi locum relinquat . Quare , ut in illa immorarer , eamque mihi , quam in dicendo sequerer , quasi ducem adsciscerem , satius duxi , quam ut ad artificiosae orationis ambitum ornatumque confugerem . Praeterea quod justissima illa in infortunatum Regem commiseratio , quae in tota hac ora-

I I I

tione eminere , ac dominari veluti debet , elaboratum industria dicendi genus respicere omne videbatur . Habent hoc nempe magni dolores , ut , siquis eos refricare solertius velit , facile recrudescant ; atque adhibitis eloquentiae artificiis plerumque arescunt lacrymae , quas in alienis infortuniis commemorandis simplicitas ubertim exprimit .

Quod si hanc qualemcumque orationem meam peramanter excipies , tuoque , **BEATISSIME PATER** , patrocinio dignabere , quanto illam magis ad misericordiam erga miserrimum Regem legentium animos allecturam putem ! Quis enim , cum videat non indignam a Te habitam esse , quae Nomini tuo dicaretur , non recordabitur doloris tui ? illius , inquam , doloris , quem acerbissimum a Te susceptum , cum crudeliter


enecti Regis nuncius ad Te feralis allatus est , altius etiam nunc animo tuo infixum esse scimus omnes . Quis exemplo hoc tuo quavis eloquentia fortiore non moveatur ? quis non moereat ? quis non fleat ? cum praesertim legenti ad luctuosum hunc exitum ob incredibilem beneficentiam , singularemque religionem Christianissimum Regem adductum , occurrere illud debeat , nullam beneficentissimo et religiosissimo Pontifici esse potuisse aequiorem , nullam laudabiliorem moerendi flendique caussam . Ego vero duplicem laboris hujus mei fructum capiam : hoc enim posteritati monumentum relinquens , et ad debitam in tantum tamque infelicem Regem commiserationem , ubi quidquam hominum misericordium est , animos flectam , et si non satis gratum , at me-

V

morem saltem animum aliqua erga Te, BEATISSIME PATER, ratione testabor, qui ad eximia tua in me beneficia hoc etiam honorificentissimum accedere volueris, ut mihi in magna hac omnium Ordinum frequentia, ingentique Urbis totius moerore ac luctu, coram Te funebri oratione laudandum illum Regem committeres, cujus semper acerbam, semperque honoratam memoriam habebis.



*Absit , ut vel Rex Francorum deserat unquam Romanam
Ecclesiam , vel Ecclesia Romana desit unquam Regno
Francorum . INNOC. III. in reg. ep. 64. de Negotio
Imperii .*



ORATIO



VOD unum facinus luctuosae illi rerum perturbationi supererat , quae miserum Galliae regnum infandis quatuor jam annos calamitatibus premit , inauditisque sceleribus dedecorat ; id etiam veluti cumulus tandem , **BEATISSIME PATER** , accessit . Parum nimirum immanissimis humani generis portentis videbatur sui Regis auctoritatem circumscripisse , parum in amantissimum carissimumque patriae Parentem con-

citatam multitudinem tamquam in tyrannum armasse ,
 parum infortunatum Principem ex altissimo regiae ma-
 jestatis potentiaeque fastigio in teterrimum carcerem
 conjecisse ; nisi etiam hinc ad injustissimum tribunal ,
 ex coque ad supplicium crudelissimum raperent. O inu-
 stam etiam huic saeculo crudelitatis et barbariae no-
 tam ! O miserandum ancipitis lubricaeque Regum for-
 tulae exemplum , quod infelix Galliae Navarraeque
 Rex LVDOVICVS XVI. paucis ab hinc mensibus
 reliquit ! in quod cultiores Europae populi intuentes
 obstupescunt adhuc , et altius animo inhaerentem do-
 lorem mitigare qua voce , qua scriptis , ubique fremi-
 tu quodam et indignatione conantur ! Verum eo nunc
 difficilius conantur , quo major olim in dies affulge-
 bat spes , fore ut afflicta Regis conditio factiosorum
 hominum animos ad aliquem revocaret humanitatis
 sensum , aut apud omnis humanitatis expertes homi-
 nes valeret aliquis timor , ne aliorum in se Regum odia
 concitarent , quorum nonnulli in eos arma jam cepe-
 rant , alii intentabant , nisi abstinerent nefario scele-
 re . Ita quidem plurimi opinabantur , dum adhuc erat
 incertus exitus , et anceps fortuna Regis ; neque eos
 profecto fefellisset opinio , nisi plus quam gentis uni-
 versae vota nonnullorum immanitas et artificium va-
 luisset . Non enim omnis tam atrocis flagitii insimu-
 landa Gallia , ubi furentium quorundam conjurato-

rum manus , postquam omnem a se religionem presumdatum , regiam omnem potestatem deletum , humana omnia ac divina violatum iri in nefariis illis suis coetibus juraverat , in Regem optimum sacrilegas manus inferre , atque ejus sanguine foedare ausa est . Gallia , quae vere Gallia est , optimorum civium regiaeque auctoritatis studiosissimorum multitudine redundans , aut in luctu et squalore delitescit debacchantium ubique hominum post homines natos teterimorum minis oppressa , caedibus perterrefacta , aut sicis jugulo intentatis elapsa , extorris patria , bonis omnibus spoliata , ad tumulum usque lamentatione et planctu , qua sola ratione potest , enectum Regem prosequitur , nunquam lacrymas exhaustura , nullam unquam consolationem adhibitura dolori suo . Cujus Europa universa ploratu clamoribusque respondet : squalent urbes , afflictantur provinciae , regiae omnes confectae senio sunt ; atque ubi quidquam hominum misericordium est , aut lugubri veste , aut tumulis honorariis , aut funebri laudatione infelicissimo Regi nulli non parentant , nulli non edunt certamen quoddam moeroris . In quo nos ceteris vel pares , vel etiam superiores sumus : Tu vero , qui pro singulari ejus religione , atque in Christianam , cui praees , Rempublicam meritis , arcissimo cum eo amoris vinculo adstrictus tenebaris , longe , BEATISSIME PA-

TER, omnes dolendo praecedis. Et quoniam dum aerumnosissimo Regi, Tibique amicissimo justa persolvit, me de ejus laudibus dicere, et aliquod dolori tuo lenimentum adhibere voluisti; utrumque me praestaturum existimo, si ostendero, LVDOVICVM XVI. ita beneficum et religiosum fuisse, ut regiae tranquillitati auctoritatisque beneficentiam anteposuerit, pro religione regnum, vitamque ipsam devoverit. Quo nihil ad ejus memoriam illustrandam gloriosius dici potest, nihil accommodatius ad imminuendam magnitudinem doloris tui.

Eximiae virtutes multos Galliae Reges, et plenae dignitatis appellationes commendant: hos Augustos, illos Sapientes, nonnullos etiam Magnos et dictos, et habitos, ejus gentis annales et monumenta vetustatis loquuntur. Verum in iis nominibus plus interdum inest ambitionis quam gloriae, assentationis quam laudis: quae vero in bellis et victoriis conquisita sunt, ea fortunae magis, quam moribus convenire videntur. Quod vero populi caritas atque indefessa beneficentia Regibus nomen indit, in ejus societatem se fortuna non offert; nihil ex illo sibi assentatio, nihil ambitio decerpit: omnes in eo Principum laudes, omnia vel maxime splendida et magnifica nomina continentur; ut qui Beneficum dixerit Regem, idem et Augustum, et Sapientem, et Magnum appellet.

Hac enim virtute homines propius accedunt ad Deum ; nec tanta est ulli hominum , quanta Regi benefaciendi facultas. Age jam, videamus, BEATISSIME PATER, quantum haec in LVDOVICO virtus enituit ; ut inde conficiamus quam jure sibi Benefici nomen vel ab ipsis regni exordiis promeruerit . Adolescens annos non amplius viginti natus regni habenas capessere primum coepit . Si quidquam tunc in summa rerum omnium potestate jactantius , aut etiam arrogantius egisset, quis illi aetati non parceret ? quis non inconsiderate potius , quam superbe factum putaret ? Atqui nihil in Rege tam adolescente non lene , nihil non moderatum . Quae porro in edictis illis , quibus regni exordia illustravit , verba ! quam non dicam civilia et popularia , sed benevola atque paterna ! *Se in Majorum suorum solium in primo aetatis flore sublatum a Deo ; ab ejus tamen bonitate sperare juventutem suam gentium sibi commissarum felicitati impedimento non fore : conflatum a suis Majoribus aes alienum se suscipere ; velle civium suorum fortunis parcere ; atque , ut pollicitationem res comprobet , gravi eos jam inde vectigali solvere , majoribus etiam soluturum in posterum .* Quae benevolentiae et caritatis plenissima verba quis tunc bonus Galliae civis sine maximo animi motu audivit aut legit , quis nunc sine luctu et lacrymis reminiscitur ?

Gratum erat populo , quod rei frumentariae commercium iis , quibus jamdiu intercipiebatur , liberaret angustiis , ut monopolia praepedirentur , ut ex annonae inopia et caritate summa repente ubertas et vilitas consequeretur : gratum , quod , cum Rhemis de more Rex inauguraretur , quotquot in publicas custodias traditi erant , levari vinculis educique juberet : gratum , quod gravissimum vectigal , quod novis quibusque Regibus nomine fausti ad regnum adventus solvebatur , ex toto remitteret : gratius etiam , quod saepe pedes incederet , quod occursantium multitudini leniter sese placideque videndum praeberet ; quod nullis quandoque corporis custodibus stipatus pauperum domos furtim obiret , eosque interrogaret , jam quo pretio staret annona , ne plus aequo ingravesceret , jam , quam in ipsos erogari jusserat , pecuniamne recepissent , ne quis unquam esset distributorum fraudationi locus . Vnum tamen erat , quod gratissimum fore populo videbatur , quod publica jamdiu vota expetebant . Suprema illa regni Concilia , quibus ex veteri instituto legum custodia , et juris dicendi facultas mandata erat , Avus ejus decessorque sub regni finem dissolvit , atque ablegavit . Gravasset alium sublata haec Concilia instaurandi consilium ; statuissetque profecto , sublatum ab alio e cervicibus jugum subeundum Regi non esse : quin sibi percipiendos

ejus operis fructus , cujus invidiae , si qua erat , pondus alter sustineret . Haec , quae Regis animo facile obversabantur , num dubitamus , quin eadem ipsi consilia ob oculos ponerentur ab iis , quibus tunc temporis administris et consiliariis utebatur , studiosissimis regiae potestatis, atque familiae ? Ea tamen LVDOVICVS , quod populi optatis adversabantur , rejicit ; et unum bene de omnibus merendi studium sui ipsius auctoritati praeferens , concupita a populo Concilia revocat in integrumque restituit .

Atque hinc plura de singulari LVDOVICI indulgentia dicere haberem ; abrogata agri cultorum opificumque tributa , sublatum jus captivitatis , amota a reorum quaestionibus tormenta , sontium custodias salubriori loco constitutas , atque alia id genus inextinguibilem ejus beneficentiam testantia ; nisi ea in primis commemorare propositum mihi esset , in quibus aliquid de regia auctoritate remittere , quam de populi caritate maluit . Quae quoniam in miserum Gallicae perturbationis tempus saltem pleraque inciderunt ; ad ea , quae in tanta regiae fortunae conversione pro sui populi otio atque incolumitate devovit , licet pro rerum , quae commemorandae erunt , acerbitate exhorrescens , festinat animus . Sine tamen , BEATISSIME PATER , ut , antequam indulgentissimum Regem per tot luctuosas aerumnarum vicissitudines

prosequatur oratio mea , malevolorum hominum invidiae occurrat , qui ad tantam laudem extenuandam ejus morum suavitatem , et flexilem in omne indulgentiae genus naturam in quemdam animi torporem atque ingenii imbecillitatem detorquent . Quod ut ostendam quam maledice et injuria LVDOVICO obijciatur , non ad dicendi artificia atque orationis pigmenta confugiam , neque in argumentationibus quaerendis , aut conjecturis capiendis immorabor , ubi dubitationem omnem praecidit simplex earum rerum commemoratio , quae nostris hisce temporibus gestae sunt .

Et sane quae nisi eximia ac praestans natura potuisset tam ardua conari atque conficere ? Vetus ille Gallicanae gentis splendor , qui per totum fere terrarum orbem ita inclaruerat , ut aliarum gentium oculos perstringeret , jam ab aliquot inde annis obscurari , cum ad regni gubernacula LVDOVICVS admotus est , ac pristina illa virium adeo ceteris Europae Regibus formidata praestantia sensim imminui ac declinare coeperat ; vel quod bellum anni MDCCCLVI. , cujus etsi prospera initia , infortunatus tamen exitus aliquantum gentis animos hebetarit , nervosque eliserit ; vel quod ea est rerum omnium humanarum natura atque indoles , ut cum ad extremum aliquid , quo nihil supra esse videatur , adductae sunt , aut paullulum hae-

reant , aut etiam concidant et sublabantur . Itaque jam non Gallicae classes maria amplius trajiciebant leges ubique laturae , injecturaeque gentibus metum ; jam non in ceteris Europae regiis Galliae nomen dominabatur , non in consiliis ineundis praeponderabat auctoritas . Quid de moribus dicam , quorum remissio , aut potius corruptio ita gentis industriam fregerat , alacritatem sopiverat , ut commercii , et litterarum , quem sibi per tot annos asseruerat , principatus ille jam pene consenescere , ac mole sua ruere videretur ? Quae olim florentes gloriae et divitiis famulabantur , jam de veteri dignitate dejectae soli vitio lenocinabantur artes : liberales doctrinas excolendi ardor ille , quo praestantissima ingenia inflammata nova usque , eaque rei litterariae maxime utilia inventa extundebant , jam deferbuerat ; et qui litterati habebantur aut in relevando otiosorum fastidio , aut in fovenda voluptuosorum libidine , aut in irridendis sanctissimis Fidei dogmatis scripta impendebant sua ; alia quidem frivola , licet artificiosae dictionis fucis illita , alia impura , alia impia , omnia aequae Reipublicae noxia .

Ita debilitatum , atque collapsum Galliae regnum LVDOVICVS accepit . Quae cum non solum conjiceret , sed plane cerneret (neque enim sibi regnum , ut ceteris beatior , sed ut vigilantior esset ,

creditum a Deo esse putabat), quam cito ad veterem Galliae gloriam potentiamque restituendam se contulit? Qua celeritate portus instauravit, multiplicavit pharos, navalia instruxit, maximas aedificavit ornavitque classes? Quod unum eo Rege gestum est navale bellum, quanto classium apparatu gestum est! Mare Britannicum, Mediterraneum, Asiaticum, Americanum, non disjunctis classis una temporibus, sed plures simul transmittentes in omnes fere terrarum plagas milites, copias, commeatus, redivivum Galliae decus appellabant. Improbent alii, per me licet, hujusce belli causam, varius fuerit certaminum exitus; nemo tamen negabit, arbitror, Galliam cum gente congressam, quae ad navalem disciplinam et gloriam nata esse videtur, et magnitudine virium, et copia praedarum efficere potuisse, ut postea ambigeretur ultra maritimis rebus natio magis valeret. Jam cum gentis suae vires ita LVDOVICVS confirmasset, ut cum potentissimis populis de principatu dimicaret, ejus quoque nomen late increbrescere, apud ceteros Europae Reges auctoritas valere, nulla sine illo magni alicujus momenti res agi, nullum eo nolente, vel imprudente bellum aut inferri, aut componi. Et sane quantam ejus auctoritatem res illa declarat, quod Moschos inter et Turcas compositionis auctor esset, quod Borussia cum Austria, Austriam cum Batavia concii-

liaret , quod Galliae foedus studiosius expeteretur , postularetur auxilium !

Age jam , quantam ex re maritima restituta atque aucta commercio gentis , quod inde maxime viget et floret , accessionem factam esse putamus ? Mirum videretur , si desides jam cessantesque negotiatores ita ultro jam suppeditatis opibus , jam navibus commodatis industrios navosque effecisset , ut eadem , quae prius ex commercio manabat , versaretur in Gallia pecuniarum ratio : quae LVDOVICI cura usque illuc redundavit , ut annuis ex una S. Dominici insula redditibus quingenties accesserint ; ac omnis universim ex commercio quaestus post primos ejus regni annos ad quater millies excreverit . Referre possem hoc loco novas Mercatorum Societates in Africae oris fundatas , veterem in Asia restitutam ; illam , inquam , quam post bellum Anno MDCCLXIII. compositum ad nihilum redigi tanto Galliae detrimento necesse fuit ; possem commemorare constitutam ab eo in omnibus Galliae portibus earum rerum , quibus natio abundaret , exportationem , invectionemque earum , quibus egeret ; novas agrorum fructuosius colendorum rationes inventas , provectas artes , excitatos artifices ; nullum denique esse commercii genus , quod ejus solertiam fugeret , in quo gentem suam non exerceret , non veterem illi principatum vindicaret . Sed alio me

vocat ejus animi magnitudo , atque ad grandia natum ingenium , quod quibus regionibus Gallia circumscribitur , iisdem licet satis amplis teneri cum non posset , remotissimas orbis partes complexum est ; atque ut illuc etiam mercatoribus nautisque suis aditus patefieret , veteres explorandas vias , novas detegendas curavit . Quem qui paullulum modo nostrorum temporum historiam norit , Peyrousi nomen , cursus , infortunia latent ? illius , inquam , viatoris et nautae praestantissimi , quo se jactans Gallia immortalem Angliae Kookium non invidet . Hunc a LVDOVICO arcessitum , praemiis illectum , navibus , commeatu , omni copiarum genere instructum , ad ea , quae Kookius obire non potuit , maria lustranda , terrasque adhuc ignotas detegendas missum , magna quidem laus , sed cum aliis etiam Regibus non paucis communicanda . At vero , quod talis tantusque vir a LVDOVICO discesserit , non tam ejus in gentis suae gloria amplificanda studium , quam peracere mentis acumen , atque omnigenam eruditionem demiratus ; quod testaretur , LVDOVICVM sibi alloquenti Danvillium aliquem alloqui , aut Kookium videri , quis non in aliis inauditum , quis non illi unice proprium fateatur ?

Bonae etiam artes et politiores disciplinae Regis opem implorabant , ne quid veteris dignitatis Gal-

liae deesset . Nescio post tot tantasque rerum vicissitudines , post tot quatuor ferme annorum caedes , incendia , rapinas an pulcherrima illa bonarum artium monumenta , quae LVDOVICVS erexit , tot civium calamitosorum vitis fortunisque feliciora ferum flammisque evaserint . Si factionum turbarumque temporum diuturnitate edaciorum furore fracta et prostrata jacent ; vos ego , vos liberalium artium cultores appello , quibus regiam ille suam patefecit , quorum ingenia amplissimorum spe praemiorum illexit , propositis exemplis industriam acuit , largissimis muneribus opera cumulavit : vos inquam , qui tantorum fortasse beneficiorum immemores nefarias cum ejus inimicis pactiones et societates conflastis , ut denique illum (proh scelus !) raperetis ad mortem . Atqui vobis ille statuis picturisque confertissimas pinacothecas extruxit , in quibus quidquid paullo magis affabre factum atque antiquo artificio videretur , imitandum vobis proponeret , caela vestra et penicilla perficeret , gloriae quaestuique consuleret : vobis non modo ad delectationem , sed etiam ad cognitionem et studium exoticis , iisque perraris plantis consitos hortos aperuit , ubi quae trans maria terrasque nostras procreavit natura , et nobis quodammodo invidit , ea tamquam nostratia oculis mentibusque vestris contemplanda subjiceret . Vobis typographicam

artem (utilem ne potius an exitialem , boni ne magis et veri , an pravi fictique nunciam nescio ; quae cum Regis tam de se benemeriti virtutes extollere , nomen immortalitati commendare debuisset , tot illi sycophantias struxit , tam atrocem arcessivit interitum) ; sed artem ille vobis typographicam faciliorem perfectioremque reddendam curavit , ut vestra illius ope scripta per omnem citius terrarum orbem excurrent , atque ingenii doctrinaeque vestrae famam longius latiusque proferrent . Atque haec , quae pauca ex tam multis , quae dici possent , commemoravi ; Galliae vires terra marique a LVDOVICO confirmatae , auctoritas asserta , amplificatum commercium , bonarum artium dignitas restituta , satis , BEATISSIME PATER , superque declarant , nullam rem esse in regnandi arte positam , quae mentem ejus fugere posset ; non illi praeterea in negotiis vel suscipiendis prudentiam , vel gerendis dexteritatem , vel confiendis constantiam defuisse ; quae denique benefice et liberaliter agere consueverat , non animi imbecillitati tribuenda esse , ut nonnulli injuriosius effutiunt , sed insitae ingenii lenitudini ac bonitati .

At enim si nulla ex regiis illis virtutibus desiderabatur in eo , quae magnam erga Imperantes populis reverentiam injiciunt ; si mira quaedam humanitas , et singularis in omnes beneficentia ad has vir-

tutes accessit , quae nimirum una prae ceteris gentium sibi conceditarum benevolentiam Regi conciliat , et firmissimum est regiae auctoritatis praesidium , quam causam (proh fidem hominum ac superiorum !) factum putemus , ut per postremos hosce annos gentem ille suam tot a se beneficiis affectam , non modo obliviosam et ingratham , sed crudelem atque impiam expertus sit ? Nota est illa Tibi , BEATISSIME PATER , quin gravissimum animo tuo vulnus infixit , quod ad Religionem Christianam , cujus vigilantissimus es custos acerrimusque defensor , una cum Regum Christianorum dominatu labefactandam spectabat . Nec vero a vulnere hoc tuo refricando magnopere absterreor , cum ex hujus rei recordatione non minor in Te laus profectura sit , quod ab impiis hostibus strenue Religionem tutatus es , quam in Christianissimum Regem , quod ab impurissimis Religionis osoribus oppressus fortiter mortem oppetiit . Pone igitur ante oculos miseram illam quidem et flebilem Galliae speciem , sed ad funestam infortuniorum seriem , quae florentissimum Regnum , Regemque infelicissimum obruerunt , cognoscendam necessariam : sanctissimum philosophiae nomen ad imponendum multitudini imperitae jam tum Ludovico XV. regnante ab impiis hominibus usurpatum : clandestinas statis temporibus locisque ad Religionem ever-

tendam coitiones : incredibilem pestiferorum librorum vim ad mores corrumpendos ex nefariis latibulis erumpentium in lucem : virtutum contemptum ; impunitatem vitiorum ; effraenem cogitandi agendique licentiam . Serpebat per universam Galliam , manabatque latius in dies lethale virus ; Parisios in primis principem regni urbem infecerat , neque ipsi Regis aulae pepercerat , quam cum primum LVDOVICVS regnare coepit foede contaminatam invenit . Quem summis ad caelum laudibus ob idipsum jure omnes efferent , quod adolescens in summa rerum omnium potestate constitutus , nemini mortalium vitae suae rationem redditurus , nullis unquam improborum consiliis , nullis remissioris vitae irritamentis , non ipso Procerum quavis suasionem et illecebra fortiore exemplo a severioribus , quibus puer a sanctissimis Parentibus imbutus erat , institutis avocari potuerit ; nec castum animum , et a natura ipsa ad honestatem comparatum vel paullulum commaculati passus sit , etsi non semel peccandi occasio , non fortuito illa quidem , sed consulto offerretur ab iis , quorum in saeculi vitium prolabi Regem intererat ; aut quod regium exemplum vitae suae turpitudini obtendere , aut quod corruptelarum illecebris Rege irretito , omnia facilius miscere se posse arbitrabantur .

Sed morum dissolutio ita jam invaluerat , ut

Regis exemplum par illi coercendae non esset : interea qui nefariis consiliis philosophiae nomen obtendebant , hoc Religionis evertendae tempus esse rati , pravas impudentius doctrinas disseminabant in vulgus , quae quo magis Religionem convellebant , eo excipiebantur avidius : nihil enim hominibus dissolutis antiquius , quam quos animi cupiditatibus Religio injicit , fraenos detrahi , nihil optatius quam ea inania et ridentia putari , quae morum intemperantiae ad potiundum incitatae repugnant . Verum licet infracto Religionis fraeno , licet in summa impietate , nondum tamen conscelerati homines , ad quam tantopere imminebant , nacti erant summam licentiam : supererat amovendus regiae auctoritatis timor , quo impediabantur adhuc , quominus divina omnia et humana miscerent . Oh Galliae universae , et Regi in primis regiaeque familiae funestum bellum ! Bellum illud , inquam , Americanum , ad quod suscipiendum nescio utrum administratorum imprudentia , an inimicorum fraus adolescentem Regem impulerit . Tantine igitur Americae libertas erat , ut tot deinde Galliae calamitatibus , tot Regi aerumnis , tot Europae universae timoribus bellicisque staret ? Utinam novus ille orbis tot a nobis marium interjectu sejunctus , quemadmodum per tot saecula majoribus nostris , ita et nobis irrepertus fuisset ! Non illi funestam Gallia libertatem asseruisset ,

non ille Galliae pro libertate aurum rependens una cum auro fatale illud ferrum immiscuisset, quod tanti Regis manus constringeret, augustum caput abscinderet. Sed quoniam praeterita mutare non possumus; optandum saltem esset, ut, quemadmodum ego, ita qui nostrorum temporum historiam posteritati mandabunt, et ipsi cursim ac raptim exitiale hoc bellum attingant; quod unum rebus a LVDOVICO praeclare gestis nonnihil tenebrarum offundit, ejus vero administris et consiliariis sempiternam infamiae notam inurit. Quorsum igitur hujus ego belli mentionem facio? Ut intelligatur, quo ad beneficentiam procliviores sunt Reges, eo magis Aulicorum suas publicae felicitatis obtentu specieque technas velantium insidiis obnoxios esse: hoc nomine beneficentissimum Regem in errorem inductum, atque ad ominosa illa arma compulsum suis ad se opprimendum inimicis ansam dedisse.

Posteaquam enim maximis impendiis constituta victoria est, ab armisque cessatum, ita imminutum gentis aerarium repertum est, ut ingens tota Gallia tumultus questusque fieret: exhaustis ob praeteritum bellum jam prope precuniis publicis, neque regni onera amplius sustineri, neque creditas pecunias solvi posse; Galliae fidem, in qua maximum gentis firmiter situm erat, fore in dies angustiorum, brevi

etiam defecturam . Has factiosi homines admurmurationes quam citissime excipientes , quam latissime dissipantes gestiunt , triumphant ; perturbationis , quam jamdiu machinabantur , signum sustollunt : Regem omnium optimum , integerrimum , dignissimumque , cujus amovendi a patria impendentis periculi studio enixe ejus administri obsecundarent , tradiderunt homini alienigenae , vaferrimo , cupidissimo : qui ad publicam pecuniam administrandam arcessitus populum decepit , Regem prodidit , aerarium perdidit : quam maximas enim pecunias mutuatus est , innumerabiles versuras fecit ; quibus cum laboranti aerario opem ferre aliquam videretur , revera aes gentis alienum eo adauxit usque , ut illi in posterum solvendo nullus Rex , nullus Quaestor , nullum vectigal esset .

Errata Principum in maximas populorum calamitates evadunt : quam saepe tamen ab improbis administris , perfidisque consiliariis imprudentes adiguntur in fraudem ! Nemo aequus rerum existimator exhaustum Regis incuria aut luxu aerarium esse queri potest : norunt omnes quam , ne deficeret , ille adlaborarit , quam nihil intentatum reliquerit ; cumque intelligeret quantum sit in Regum parsimonia vectigal , et quanta inde publicis pecuniis accessio fiat ; quam non sibi , non regio juri , ornamentoque pepercerit , ut ex una ejus continentia regionumque sum-

ptuum temperatione centies quinquagies in aerarium quotannis redundarint : nota sunt etiam omnibus ejus de aerario restituendo plena aequitatis sapientiaeque consilia , quae si valuissent , pecuniae inopiae subven- tum satis esset , neque una cum Rege suo amantissimo in tot aerumnas Gallia concidisset . Sed obsistebat conflata jamdiu Regis hostium societas , quorum regni aerarium exhauriri vehementer intererat , ut in perdi- tis rebus eo Regem adducerent , ut illum totius regni conventum indici juberet , quo aut connivente , aut adjuvante , suos illos cogitados furores brevi explere se posse sperabant . Hoc boni jamdiu exoptabant , ut de- liberaretur qua ratione ruentibus quotidie in pejus re- gni fortunis succurri , resque omnis publica ab immi- nenti calamitate servari posset : postulabant et mali , quorum aut privatam obscuritatem fastidientium , aut domesticam inopiam aegre ferentium ambitioni , aut cupiditati uberrimum conventus iste pabulum pollice- batur ; urgebant vero religionis , Regisque hostes , quorum molitiones eo dirigebantur , ut in sententia- rum varietate , quae hujusmodi conventuum comes plerumque esse solet , ea discordiarum seditio- numque semina jacerent , ex quibus aliqua religioni Regique fatalis totius regni perturbatio prodiret : neque Rex indulgentissimus recusavit , qui , etsi dominationem suam in hoc conventu imminutum iri prospiceret ;

quidquid tamen genti suae bono fore putabat , non iacturae , sed quaestus loco ponebat . Itaque postquam exemplo Henrici illius Magni proposito viros ex omnibus regni provinciis et civitatibus primarios , quos Notabiles Galli appellant , Parisios arcessivit , atque omnis pro temporum difficultate consultatio in irritum cecidit ; tandem , ut in summis rerum angustiis nihil quod in more positum erat institutoque majorum omitteret , gentisque universae optatis obsequeretur , ex tribus totius regni ordinibus , Ecclesiasticorum videlicet , Nobilium , reliquorumque Civium spectatissimos eligi et congregari jubet , qui rogati sententias dicerent , secumque afflictis ac pene prostratis Galliae rebus consulerent . Ex quo in gentem suam merito , quod ad alia ejus innumerabilia veluti cumulus accessit , qualem (proh Deum immortalem !) quantumque cepit principio voluptatis fructum ! Non Rex inter ministros et consiliarios suos in gravissimo totius Galliae Concilio , sed Paterfamilias in privata domo inter amantissimos filios constitutus sibi esse videbatur . Quae ejus verba , quam humanitatis et indulgentiae plena ! Quam reverenter a toto illo conventu , quam peramanter excepta ! Quid vero populus ! Quae ex omnium vultu laetitia erumpebat ! Quae ex oculis lacrymae , mutuae in Regem suum caritatis gratique animi testes !

Jam unde tanta illa rerum conversio? Quis illos fidelissimos Proceres, quis Clerum fortissimum, quis Gallicanae Nobilitatis florem ab Regis latere divellit, expulit, relegavit? Quis populum illum adeo Regi suo obsequentem, adeo devinctum de veteri illa observantia studioque detrusit, corripit, fascinavit? Quis tot tantasque Galliae restituendae spes rescidit, in irritumque redegit? Idem ille, quem teterrimis Regis hostibus in aerario administrando conjurationis facem praeferre vidimus; qui cum videret in tanta primi, secundique ordinis integritate, in tanta Ecclesiasticorum, atque Nobilium optimorum consensione suos in Regem, religionemque conatus facile prostratum iri, postremi Civium ordinis, unde illi plures suppetebant ejusdem amentiae scelerisque socii, querimonias fovere, studere ambitioni, postulata tueri coepit: cumque eo auctoritatis devenisset, ut nihil ab optimo Rege publicae felicitatis atque otii specie non extorqueret, omnia quae vellet Regis nomine imperaret; potuit nimirum unus, nequicquam repugnantibus bonis omnibus, veteres regni leges perfringere, negligere auctoritatem exemplorum, rerum naturam invertere, violare sacrum aliorum ordinum jus; efficere, ne diutius teneam, ut qui tertium Civium ordinem repraesentaturi convenerant, duplo reliquis ordinibus plures essent. O Regis imprudentiam ne dicam, an fatalem

quemdam errorem ? Sed alea ab eo jacta jam erat : uni , in quo populi spes omnis sita erat , omnia credere , nihil negare satius esse duxit , quam populum exasperare , Galliamque in tanto temporum turbulentissimorum motu perdere , si quidquam illi denegaret , aut ejus integritati prudentiaeque vel paullulum diffidere videretur .

Aucto factiosorum postremi ordinis Civium numero , aucta quoque audacia est : teterrima consilia patefacta , facinorosorum multitudo mercede conducta , Rex circumventus , in discrimen adductus . Eo nimirum illarum pestium minae spectabant , ut adversos primorum ordinum , qui ex fortissimis Regisque studiosissimis viris constabant , conatus superarent , virtutemque proposito Regis periculo infringerent . Furori prudentia , moderatio cessit audaciae ; nam optimi illi Proceres timentes , nequa Regi vis inferretur , consternari primo , deinde silere , tum vinci se sinere ; denique in tertium plerique ordinem transmigrare coacti regnum regni hostibus tradiderunt , de quo potius quam de Rege actum esse malebant . O caecam spem ! O praeposteram cogitationem ! Quae una Regis servandi ratio esse videbatur , quam cito in Regis exitium recidit ! Quod tot Regum decreta sanxerant , tot Galliae conventuum inveterata consuetudo firmaverat ; in quo civium concordia , gentis gloria , regni

incolumitas nitebatur, illud ordinum discrimen auferretur: ex gravissimo sanctissimoque Galliae Concilio fit turbulentus hominum, non ut cum Rege deliberent, sed ut in Regem dominantur, convenientium coetus. Qui nullo timore vinci divellique a Rege possunt, tot fortissimi Galliae Ecclesiarum Antistites; tot Sacerdotes integerrimi, tot nobilissimi regni Proceres, cum abnormem illam absurdamque ordinum permixtionem praepedire amplius non valerent, sceleri saltem audaciaeque obsistendi consilium ineunt, in contrariam partem discedunt. Fortes et animosi, vultu semper eodem, oratione stabili et non mutata animi robur, prudentiam consiliorum, sententiarum vim petulantiae, amentiae, clamori objiciunt. O invicti et nunquam satis laudandi viri! Cessistis vos quidem impotentium hostium furori, sed non timidi ignavique cessistis: multos ex vobis gloriosa pro Rege et religione mors obita memoriae posterorum sempiternae commendat: qui vero gladios illos et sicas effugistis, patria, domo, fortunis omnibus spoliati, in quem unquam locum aut tam desertum, aut tam inhumanum accedere vos poteritis, qui tantam virtutem non mirari, excipere, appetere videatur! Utinam tot ac tanta exempla virtutis populum aut in officio continuissent, aut ad officium revocassent!

Horret, BEATISSIME PATER, ac refugit

animus ea commemorare , quae nos ipsi reformidantes audivimus , quorum exempla nulla fortasse praebet antiquitas , quibus fidem posteritas vix habebit . Infimam plebem , praeterea multitudinem hominum , quibus Parisii redundabant , prope infinitam , collectam ex juvenibus corruptis , ex civili luxuria , ex desperatis decoctoribus , jamdiu vitiorum illecebris irretitam , impuris eorum , qui se philosophos praedicabant , doctrinis imbutam , divitum fortunis in turbidis , ut fit , temporibus imminentem , facile illi conjurationis duces largitione pelliciunt , mercede conducunt , annonae jam inopia , jam copia compellunt , ut Regem tumultuose circumstet , bonis omnibus ferro ignique minitetur . Adde istuc seditiosas conciones , adde furentes effraenis libertatis , et commentitiae inter omnes cives aequalitatis praecones . Qui de ruentibus regni fortunis instaurandis convenerant , jam de immutandis regni legibus , de regia auctoritate circumscribenda , de summo populi dominatu vindicando coram populo disputant , obstrepunt , vociferantur : *libertatem cuique a natura inditam nulla posse nec vetustate deleri , nec vi comminui , nec barbaria violari : ad hanc hominem non doceri , sed fieri , non institui , sed imbui ; Reges , quos libere populus non adsciverit , tyrannos ; quos adsciverit , posse a populo , si e republica fore arbitretur , de regno deji-*

ci ; unum et vere Regem esse populum . Quibus addunt quae ambizioso egentique vulgo novarum rerum cupiditatem maxime ingerunt : ad illustria et quaestuosa regni munera , qui soli Nobilitati hactenus patuit , aditum cuique esse debere ; siquidem ad omnes patria , omnes ad patriam aequae pertineant : generis praestantiam esse in hominum societatem a Regibus , et regni Proceribus invectam , ut mutuan sibi utrique opem ferentes tutius in reliquos cives dominantur : nullum deinceps tolerandum inter cives discrimen , nisi quod caritas patriae et virtus cujusque fecerit .

His seditiosorum hominum vocibus , quo populus ille levior novarumque rerum appetentior est , eo acrius incitabatur , ut non tumultuari , sed furere videretur ; neque in viros dumtaxat Nobiles et Ecclesiasticos , sed in Regem ipsum conflabatur invidia , intentabantur minae . Qui ratus posse multitudinem concitatam indulgentia deliniri , in illum ipsum tot turbarum auctorem conventum suae bonitatis munera largiturus populo inspectante se confert . Quid vero erat , quod a tam benefico Rege impetrare populus non posset ? Quid , quod ille pro populi incolumitate non devoveret ? Taedium dominationis inceserat ? Se gentis suae non Dominum , sed Principem fore pollicetur . Premebat tributorum , quae Regi sol-

verentur , multitudo ? Satis habet , si qua libere sibi offerantur . Honorum , qui Nobilium proprii hactenus fuerunt , cupiditas ceperat ? Cum postremo etiam Civium ordine communicari decernit . Quid plura ? Profitetur , regnare solum se nolle , regiam cum civibus suis auctoritatem partiri cupere , illum totius gentis conventum , cuius consiliis utatur , statis semper temporibus indicturum . Quae tanta barbaries , quae crudelitas tanta usquam est , quam tanta Regis facilitas , tanta lenitudo remorari atque emollire non potuisset ? O inustam Galliae et nunquam eluendam turpitudinis notam ! Tantam enim mansuetudinem , tam inusitatam inauditamque humanitatem , tam non dicam popularem , sed familiarem colloctionem consecuti sunt aestuantes tumultus impendentis rebellionis funesti indices , secuti contumeliosi clamores teterrimi sceleris fatales nuncii , secutus ille in Regis aedes quasi in hostium urbem nocturnus impetus . O noctem illam luctuosam , et sempiterna , si fieri posset , oblivione delendam ! qua lymphatae multitudinis armis optimus Rex appetitus , Regia Coniux contumeliis oppressa , Regia omnis familia minis perterrefacta . Quam quidem noctem umbras equidem effudisse solito obscuriores arbitror , quibus tanta ac tam visu foeda facinora obrueret . Quae tamen adeo caligantes tenebrae reperiri possunt , unde furentium

hominum non erumpat audacia ? Qui vero et quam execrandus dies ille , qui tam tetram noctem consecutus est ! quo die e regio Versalliarum domicilio Rex violenter abstractus , et illarum pestium ac furiarum custodia circumfusus Parisios transmigravit .

Hic dies LVDOVICO regnandi finem attulit , atque adversa omnia metuendi bonis , expectandi malis initium . Ex illo enim turbulentus ille non amplius Galliae ordinum , sed Regis hostium conventus supremam sibi auctoritatem vindicavit : ex illo Regi specie tenus imperandi relicta dignitas , reipsa parendi necessitas injuncta : ex illo mixta , perturbata omnia , bonorum caedes , Principum fugae , praedonum dominatus , monstrorum tyrannis . Invictus ille Regis Frater Atrebatum Princeps , cum a conjuratorum mucronibus suum peti latus videret , ingruenti hostium furori non se ille quidem propter vitae cupiditatem subduxit , sed ut laboranti Fratri , quae in patria non posset , extra patriam auxilia tutius contraheret , et formidatum illum Henrici IV. gladium secum ferret , tantorum scelerum vindicem . Augustae Regis Conjugi fugiendi non causa solum , ne tantam furenti plebi virtutem , tantamque generis dignitatem traderet , sed pene necessitas erat : Regis enim consilia , hortatus , lacrymae adigebant : his illa nihil movetur : est incredibili quodam robore

animi septa ; negat relicto Rege vitam producere : profitetur , sibi ad carissimi Conjugis pedes mortem , si oportuerit , obeundam . O dignam tantae illius Genitricis Filia , dignam tanti Imperatoris Amita , tantorumque Imperatorum Nepte et Sorore virtutem ! Consueverat jam illa volubilis vagaeque Regum fortunae rationem non expavescere ; Aulicorum simulationes , infidelitates amicorum , inimicorum calumnias erecto animo atque obfirmato jam vicerat , non sine quadam , ut arbitror , sapientissima aeterni Numinis providentia ; quae , cum vellet novum quoddam regiae constantiae exemplum in invicta Femina exhibere , ad longe majora illam infortunia exantlanda fingebat . Supererant Regis Amitae spectatissimae Feminae ab illis vesanae plebis in regiam domum irruptionibus liberandae . Digna tantarum virtutum exemplis Gallia non erat : quas tamen domo profugas , carissimisque pignoribus divulsas , qua verborum contumeliis , qua minarum insolentia ad regni fines ingrata illa patria prosequitur , cupidis Roma ulnis , Roma omnium virtutum parens atque adiutrix amplectitur : atque ad ceteras tuas laudes , BEATISSIME PATER , hanc etiam accedere aequum erat , ut nobilissimas DIVI LVDOVICI Neptes peramanter invisens consolarere , iisque paternae pietatis officiis , quae , et tantarum Hospitum digni-

tas , et animi tui magnitudo postulabat , exciperes .

In hoc miserrimo rerum statu , cum famosis ubique Civitas libellis redundaret , omnium aures ab impurissimis declamatoribus fatigarentur , omnia querimoniis , clamoribus , minis personarent , omnia imminentem Regis caedem portenderent ; si alicubi Rex mansuetissimus serviendum tempori duxit , si cum turbulentis illarum pestium factionibus mitius agere ac connivere visus est , si denique civilem illam Cleri constitutionem Catholicae Ecclesiae regulis atque auctoritati adversantem sanxit ; non tam reprehendendus quod aliquid de regia firmitate atque avita religione remiserit , quam quod invitus coactusque remiserit excusandus . Equidem sentio , si suam unius salutem in discrimen adductum iri putasset , nunquam impiis illis decretis subscripturum fuisse : alias ille prospexit animo procellas , aliis impendentibus tempestatibus cessit . Tot bonis civibus , tot fidelibus servis , Regiae familiae universae , toti ille Galliae timebat : quo enim eo recusante non prorupisset , cujus capiti pepercisset tantae conspirationis insania ? Non igitur desideranda in eo firmitas , sed libertas fuit . Atque utinam catenas illas , quibus vinciebatur , tandem frangere , atque ex tanta conversione et perturbatione rerum omnium evadere potuisset ! Ea profecto revocasset , quibus invitus subscripsit ; eva-

nuissent consilia parricidarum ; Gallia staret , staret in Gallia Religio . Suum erat conari, perficere fortunae : quod unum praestitit summae ejus virtutis fuit , quod alterum consequi non potuit fatalis cujusdam calamitatis . Neque vero in fugam se conjecit concitaturus Europae Reges contra illum suae auctoritatis ereptorem conventum , exercitusque contracturus , quibus illatas regiae majestati persequeretur injurias . Quam ejus carnificum calumniam etsi mite Regis ingenium , maximeque a caede et sanguine alienum satis non refelleret ; ea prorsus obterunt atque contundunt , quae constanter egit , ut formidolosum , quod eo deinceps invito exarsit , a patria bellum amoveretur . Quoties enim oblata ab aliis Regibus auxilia recusavit ? Quoties justam Romanorum Imperatoris , Uxoris suae Fratris , iram compescuit ? Quoties foederatorum in Galliam Principum consilia distulit , arma continuit ?

In re tam clara , tam recenti , tam nota omnibus supervacaneum est immorari : loquuntur litterae ab eo saepius datae , loquuntur legati saepius missi ; loquuntur Reges , quorum nunc armis Gallia premitur ; qui LVDOVICI consiliis hortatibusque pacati acquievissent , nec turbidis se Galliae rebus implicari unquam passi essent , ut in suis illis belli denunciationibus palam testati sunt , nisi vesanus ille Galliae

conventus bellum prior indixisset , aut si abstinisset per omnem Europam disseminare suum illud licentiae et seditionis exitiale virus : loquuntur denique ipsi Regis hostes , qui , cum tam manifestis pacis et concordiae non modo consiliis , sed etiam conatibus revincantur , ne videantur haerere , alium calumniae colorem obtendunt , perinde atque ille belli auxilia extra regnum opperiri , quam in regno arcessere maluisset ; parum quidem solliciti , si minus sibi ipsi cohaereant , modo Regem omnia ejus facta carpentes et in pejorem partem detorquentes oppugnent . Si enim , ut negare ne ipsi quidem audent , a bello abhorrebat in regno , idcirco e regno egredi voluisse dicendus est , ut cives suos bellum efflagitantes ad consilia pacis , quod praesens non poterat , absens revocaret . Quid , si ne egredi quidem e Regno voluit ? Quare sibi fugiendi causa , quo fugiendi mens fuerit , ipse omnibus patefecit ; tantaque erat ac tam spectata ejus animi integritas atque ingenuitas , ut omnis ab eo mendacii et simulationis suspicio facessat . Captivitati se ille suae , non patriae surripuit : in aliquem regni locum se conferre statuerat , ubi et natura regionis , et fidelium militum atque amicorum custodia munitus tot nova decreta libere et cogitate perpenderet ; quae e patria essent , sanciret , quae contra patriam abrogaret : fore etiam putabat , ut , tanto perturbationis aestu post

aliquem temporis interjectum defervescente , cives se sui tandem colligerent , atque ad saniora consilia mentem converterent ; quibus ad officium redeuntibus liberalissimam omnium scelerum veniam Rex clementissimus offerebat , veram libertatem , incolumitatem , Religionem omnis incolumitatis fontem .

Huic plenae consilii sapientiaeque fugae arridere fortuna paullisper visa est . Quo tamen in perse- quenda virtute scelus non pervadit , quo non citis- sime pervenit ? Improvisum prope Varennam adest , fugam remoratur , fugientem circumvenit , compre- hendit . Elapsa tamen ex ejus manibus praedae pars est : alter Regis Frater felici quodam fato evasit e re- gno , ne suas , equidem credo , misero Fratri vindex , parvo Fratris Filio assertor , afflictae patriae libera- tor , oppressae Religioni defensor deesset . Potuis- set et ipse Rex facile effugere , modo fortes et sui studiosos milites irruere in illos praedones jussisset ; vi victa vis , vel potius oppressa virtute audacia esset . Ita quidem , nisi eo usque cives dilexisset suos , ut , si eorum sanguine libertas sua stare deberet , nun- quam emendam putaret . Verum si minus sibi , at Regiae Conjugi , at Sorori , at Filiae , parvoque Filio consulisset ? Idem Conjugi , idem Sorori et Filiae animus , eademque Regi sententia : Filii tantae vir- tuti impar aetas ; cum adoleverit , veram ex Genito-

ris exemplo Regum laudem , fortunam discet ex aliis . Cum igitur comprehendi potius , quo recasura , cumque res esset , quam obniti et suorum caede foedari Rex statuisset , cum Regia familia et comitatu Parisios reverti cogitur . Nefarii satellites augustam illam praedam circumstant : circumfusa undique multitudo visendi studio ruit ; neque os illud incestum proferre satis habet ; captivis Principibus verborum contumeliis illudit , fugam irritam objicit , comprehensionis dolorem exasperat . Quod tamen laborum et molestiarum plenum iter fortiter illos et patienter tulisse ferunt . Qui vero , et quam teter Lutetiam Parisiorum introitus ! Quam lugubre noctis illius silentium ! Quam ferox militum aspectus ! Quam formidolosae plebis caedem anhelantis minae ? Praetereo quae Regis adventum consecuta sunt : tantam enim ac tam foedam regiae majestatis contemptionem non capiunt angustiae orationis meae , non recipit dolor , non indignatio sustinet . Quae si commemoranti adeo ingrata sunt , quam , proh Deus immortalis ! experienti Regi molesta , quam intolerabilia fuisse putemus ! Nec vero quispiam arbitretur , ejus tot injurias animum infregisse , aut potuisse unquam ab illa sua lenitate avocare : bacchantis populi minis blanditias objicit , furori mansuetudinem , erectis gladiis armatum benevolentia pectus : volentem in regiam irruere , licet mi-

nacem , licet armatum , licet tantae majestatis sacrarium petulantia sua incestaturum ingredi sinit , comiter excipit , peramanter affatur ; atque ut blandius demulceat, oblatum pileum , injuriosum illud libertatis insigne augusto capiti imponit . Coactus quidem id fecit ; desiderio tamen tantae feritatis deliniendae , non timore coactus : nescia enim timoris innocentia est ; quod idem ipse testari voluit , cum arreptam unius ex iis qui aderant satellitis manum regio pectori admovit : illud nimirum facto ostendens , ne in asperrimis quidem rebus palpitare solere cor innocentium et fortium virorum .

Quae tamen tanta repente conversio ? Quid insueta illa severitudo ? Quid tristis et caperata frons animi obfirmate abnuentis index ? Quae porro reliqua res est , quam efflagitare populus possit , concedere Rex nolit ? de jure tributorum remisit , corporis sui custodias inminuit , regiae domus sumptus temperavit , auctoritatem , dominationem , libertatem , seipsum populo tradidit atque devovit . Numquid aliud devovendum restat ? Una illi in hac rerum prope omnium profusione Religio supererat , quam a suis Majoribus , Christianissimis Regibus acceptam carissimam semper habuerat ; hac se spoliari non sinit . Spurcissima illa et teterrima monstra , quibus in tanta rerum perturbatione excitantur

da illud propositum in primis erat , ut omnem in Gallia religionem prorsus excinderent , cum viderent , sua se perficere consilia non posse , adversantibus tot clarissimis Ecclesiarum Praesulibus , invictisque Sacerdotibus , qui nullis nec blandimentis , nec minis adduci potuerunt , ut nefarias illas Catholicae Ecclesiae deletrices leges jurejurando suo comprobarent , decretum fecerunt tyrannicum , inhumanum , impium , quo bonis omnibus spoliati ablegabantur a Gallia . Hoc Regi proponunt ; si sancire vellet , promptam hanc et facilem fore viam ad tot Civium dissidia placanda , ad tot populi turbas sedandas pollicentur : quo in irritum revoluto artificio , ad minas confugiunt ; multitudinem , ferrum , flammamque minitantem ostendunt . Sed magnus atque a teneris , ad pietatem conformatus animus omnia sibi prius perferenda statuit , quam decretum istoc auctoritate sua confirmandum tam Christiano nomini inimicum , tam truculentissimis illis Neronum , Deciorumque temporibus dignum . Qua intercessione fortiter constanterque interposita et maculam , si quam in aliis decretis sancientis forte suscepit , omnem delevit , et gloriosissimae morti obeundae materiem sibi campumque constravit . In hanc enim ex eo regiae intercessionis tempore implacabiles illi religionis osores imminere atque inhiare nunquam destiterunt . Interceptae ab iis sacro-

rum Antistitum pecuniae , direptae Sacerdotum fortunae , Christiani Gregis Pastores e suis sedibus expulsi , sacrilegi religionum Ministri , raptores , lupi in eorum locum suffecti ; templa spoliata , dirutae arae , aliaeque sacrorum religionumque violationes innumerae , quae commemorari sine horrore non possunt : etsi Christianorum Fidem maxime imminuerant atque infirmaverant ; videbant tamen , se vivo Rege non tantum nomine , sed re Christianissimo illam a Gallia eliminare , quod fixum destinatumque animo erat , prorsus non posse .

Itaque sceleri omnium maximo conficiendo statutus a parricidis dies adventat ; cuius cum certior Rex factus esset , corporis sui custodiis edicit , ne si quid popularium turbarum circa regium domicilium oriatur , vim inferant cuiquam ; ut mitius , quoad fieri potest , cum populo agant , hortatum et suasum vi et armis , arma et vim re desperata tantum opponant . En superbus ille Dominus libero populo praefici indignus ! En impotens Tyrannus non paterno tantum sceptro , sed etiam vita spoliandus ! Proh Deum immortalem ! Quinam , siquidem hic tyrannus , benefici Reges , qui mansueti Principes , qui Patres patriae nominabuntur ? Quid enim in his Regis mandatis non lenitudinis ; quid non moderationis plenum ? aut quid ad tantam lenitudinem et moderationem jam posse

addi videtur? Sed quantalibet mansuetudine insanae multitudinis furor flecti nescius vim tandem provocavit; itum ad arma est. Irruentium impetus, reluctantium oppositus, caedentium cadentiumque clamor ingenti Regiam familiam horrore perstringunt; cum neutro inclinata spe, fallaci nuncio perfidoque consilio deceptus Rex, in eum, quem legum sanctissimarum domicilium, oppressaeque innocentiae asyllum esse putavit, suae gentis conventum cum suis omnibus confugit. O deplorandam proditionis Regis conditionem! Non ille in tutum asyllum, sed in miserissimam captivitatem se conjicit; non legum patrocinium, sed tyrannidis impotentiam, non aequos sui defensores, sed iniquissimos hostes nactum se esse sentit: ubi cum triduo manere coactus esset, quem illi sensum fuisse credimus importunos eorum cernenti vultus, qui tot sibi insidias fecerant, tot aerumnas conflaverant? Tandem ex invisio illo conventu cum Regia familia in carcerem detrudendus frequentiores civitatis vias trajicere, ludibria impudentis multitudinis ferre, aequatas solo suorum Majorum statuas intueri cogitur, ut ex tanto populi contemptu atque odio praesentiat, quam sibi aerumnosa captivitas immineat, crudelique futurorum malorum imagine in antecessum laceretur.

Jam quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare

miseram illam captivitatem queat? Huccine, Rex infelicissime, tua in patriam merita evasere? Ideone omne e tuis civibus captivitatis jus sustulisti, ut tuorum tu civium captivus fieres? Vetuisti, tormentis quaeri in reos, ut tu innocens in quaestionem omnium durissimam abriperere? Sontium carceres salubri loco et perflabili esse voluisti, ut gravis tibi custodia et tenebricosa contingeret? Qui vero custodes? quam tristes! quam inclementes! Neque mitius quam Rex, Regia Uxor, et Soror habentur: ipsa animi in miserrima captivitate toleranda magnitudo vitio illi vertitur; arrogantiam, superbiam vocant: alterius virtutem cum calumniando in crimen detorquere non possint, castas aures incestis lacerant verbis, verecundiæ impudenter insultant. Quis vero tam animo agresti ac duro esse potest, quem parvorum Filiorum innocentia et candor ille puerilis non ad misericordiam alliciant? Atqui contemptui habent, irrident; ad omnes vel suavissimas humanitatis illecebras obdurescunt. Nondum tamen tam immanium furiarum exsaturata crudelitas, quibus, proh dolor! et quam novis quamque acerbioribus irritamentis regiam constantiam laccessit? Nobilissimae, et Regis, Reginaeque amicissimae Matronae caput cervicibus fractis abscindunt, idque adfixum gestantes in pilo, rem visu miserabilem! eorum oculis subjiciunt. Tam atrocis spectaculi horrore oppres-

sos ac corruentes ad vitam revocant , ne nimis , credo , liberales , si semel occidant , in crudelitate videantur . Injectus animo semel per oculos tam foedi aspectus atrocitate mortis dolor , injiciendus iterum videlicet erat ferali nuncio per aures . Quos ab iniquissimo exilio intercessione sua Rex acquissimus liberaverat , invictos illos Catholicae Fidei conservatores , Sacerdotes amplius trecentos , docetur omnes uno in loco unoque tempore mactatos nuper esse , atque insepultos adhuc jacere miserorum acervos : ejus etiam pietas irridetur , quasi vero devotas populi immanitati victimas non ab exilio servasset , sed reservasset in caedem . Cujus ille acerbissimi nuncii atque acerri-
 mae irrisionis vulnere repente confossus excessisset e vita , nisi tam gloriosae mortis , quam fortissimi illi Heroes pro religione oppetierant , exemplo erectus in spem venisset , ejusdem et se laudis aemulum atque consortem brevi futurum .

Quam profecto laudem absurda in illum injustaque quaestione instituta ejus nequidquam hostes obscurare conati sunt . Rem etsi celebratissimam , breviter tamen commemorabo , ut ex tanta honestate causae , qua mortem occubuit , aliqua oriatur non mediocri consolatio , quae communi omnium bonorum aegritudini medeatur . Post Regis captivitatem novus Galliae conventus indictus est , nomine quidem dis-

par, scelere deterior; qui cum e Gallia et regni, et Regis tollendi consilium jamdiu inimum quam primum conficiendum suscepisset, veterem constitutionem, in qua species aliqua regni supererat, a primo illo conventu et Rege confirmatam tamquam tyrannicam abrogavit; diem deinde Regi dixit. Praetereo, in jus Regem vocari, atque in eum capitis anquiri non potuisse: cautum enim lege erat illi, ut sacrosanctus haberetur; ut regni abdicationi, si quid forte contra patriam admisisset, tantum esset obnoxius; ut ea demum versari dumtaxat in judicio possent, quae post regni abdicationem privatus fecisset. Sed non quaero accusari ne possit, quo crimine accusetur quaero. Multa, ajunt, contra veterem constitutionem admisit. Nonne tamquam tyrannicam sustulistis e regno? At esto, quam vobis sustulisse laudi, sit illi crimini infirmare voluisse: Num infirmandam unquam curavit? Ubi indicia? Ubi argumenta? In illis, credo, litteris, quas, ne falsitas, aut depravatio patefieret, cum ejus defensoribus ad examinandum communicare nolulistis: in illo tot exercituum in Galliam jam jam invadentium apparatu, quorum rapinis et caedibus consiliis precibusque suis miseram patriam eripuit: in illis flagitiosorum satellitum testimoniis, quos mercede conduxistis, ut in regium domicilium irrumperent, et quae forte scripta invenissent auferrent, se-

cum ferrent quae inventuri non erant, et tamen inventa esse dicerent. At enim, cum multitudinem vi et armis iv. idus Augusti arceri a se jussit, liberi domique populi majestatem laesit, crudeliter, violenter, tyrannice egit. Inauditam vero recentium philosophorum sapientiam! Admirandum horum humanae libertatis assertorum inventum! quo statuitur quid inter Regem et Tyrannum intersit: ille nimirum Tyrannus, qui cum populi furorem lenitate cohibendum frustra curaverit, suarum se excubiarum oppositu tandem tuetur: ille autem Rex, qui lymphatae plebis gladiis ultro jugulum offert.

Tot igitur tantorumque criminum reus e custodia Rex in judicium adducitur: Atque hinc illud alterum quaero: qui accusatores, qui judices? Audi, audi, BEATISSIME PATER, et cognosce incredibilem hujus judicii iniquitatem: iidem accusatores qui judices. O rem non modo mirabilem, sed portentisimillimam! Non habet eam vim ista quaestio, ut reus judicetur, sed ut condemnetur. Tantam, tam injustam, tam foedam judicii perturbationem ne apud barbaras quidem gentes invaluisse unquam aut audivimus, aut legimus; ut qui reus in judicium venerit, nactus in accusatoribus judices, suos in iudicibus carnifices nanciscatur.

Neque haec eo disputo, ut tantae innocentiae

causam defensionemque suscipiam : suscepere jam disertissimi Oratores , quorum eloquentia invidiam calumniamque prorsus contudisset , si qua eloquentia valeret apud praedones et parricidas : universa pene Europa suscepit , quae illatam Regi mortem ferro armisque persequitur : caelum ipsum suscepisse videtur , quod ad expetendas regii sanguinis poenas tot infelix Galliae regnum tamque luctuosis calamitatibus premit . Eo omnis haec mea spectat oratio , ut intelligatur , quibus propositum erat , ut Christiana religio tolleretur e Gallia , ab iis religiosissimum Regem , quo vivo tantum scelus perficere non potuissent , ante omnem quaestionem animo suo jam et opinione damnatum : unum et verum illius crimen fuisse obfirmatam in religionis Administris defendendis constantiam , quo nullum gravius , nullum atrocius apud tam capitales religionis hostes esse poterat ; cui non regni abdicationem , non captivitatem , non exilium , sed , ne renovari aliquando posset , unam mortem puniendo parem putarunt . Atqui contra omnes leges agendum est , contra omnem humanitatem . Quid refert ? Plures ex iis , qui de Regis capite iudicaturi convenerant tanti facinoris conscientia permoti trepidant animique pendent : eorum suffragia aut pretio emuntur , aut intentatae caedis terrore extorquentur . Populum etsi furore correptum , sanguini jamdiu assue-

tum , jam pridem odio inflammatum in Regem , facile tamen intermortuae veteris erga Regem amoris reliquiae allicere ad commiserationem possunt . Decretum statim fit , ut Regi ad populum provocare ne liceat : Lex vetat , quempiam , quamvis sit nocens , damnari capitis posse , nisi iudices , qui condemnant , sint duplo plures , quam , qui absolvunt . Valeat in latronibus haec humanitatis et aequitatis plena lex , valeat in sicariis ; in religiosissimo Rege impietati devovendo non valet : statuitur , satis esse , si modo iudicum dimidio vel unus accedat . Unus ex potentissimis Europae Regibus suae Majestatis paullisper obliviscitur , iraeque moderatur , ut ad sanguinis naturaeque voces animum dumtaxat adjiciat : quod pro sua ipsius salute facere dedignaretur , Regis amici et cognati mortem deprecari non dubitat : ipsis ejus oppressoribus nunciari jubet , cum in tanta causa connivere non possit ; optare se ut Regis vitae parentes sibi ulciscendi occasionem praecidant , avertantque a Gallia aeternum infandi parricidii dedecus . Haec tam magni tam generosi Regis postulata superbius rejiciuntur : virtus virtuti favens impurissimis conjuratorum oculis contemptu atque odio dignior apparet . Quid diutius teneo ? Conventus habetur ; agitur postremum causa ; rogantur sententiae : dum rogantur tamen , circumferuntur ad aequitatem arcendam , atque ad commiserationem

tionem suffocandam sicae : nunciatur , cujusque sententiam scriptum , et in regni provincias missum iri , ut , si quis justior esse velit , aut mitior , quam forte Parisiis effugerit , mortem offendat in patria : tandem feruntur suffragia ; multa animi infirmitas suggerit , timor plura , pleraque impietas ; quibus collectis numeratisque , Praeses assurgit , sententiam omnium iniquissimam pronunciat , corruptaeque Nationis nomine atrocissimum scelus absolvit . Ac tanta immanitate , tantaque intemperantia parricidae illi fuerunt , ut ne triduum quidem , quod sibi Rex postulabat , inter allatum fatalis sententiae nuncium et supplicium interesse paterentur : credo quod verebantur , nequam in populo misericordiam excitaret paucorum dierum prolatio .

Sed haec , quae inusitatae crudelitatis sunt , omitamus : tempus jam postulat , ut , quoniam infelicissimum Regem per tot rerum miserrimarum discrimina comitati sumus , hoc etiam extremo ejus vitae tempore ad supplicium usque cum moerore et gemitu prosequamur . Imitemur clarissimi illius senis singularem et nunquam obliviscendam pietatem , qui cum strenuus defensor in ejus causa peroranda illi adfuisset , morientis etiam lateri ad extremos cruciatus levandos adhaerere fidelis studiosusque consolator voluit . Quanquam ipse magis consolationis indigebat , quam Rex :

acerbissimum enim afferenti nuncium lacrymae erumpebant ex oculis , dolor debilitabat includebatque vocem . Cui in ipso etiam gemitu et silentio satis loquenti , vultu animoque ad tranquillitatem composito , nihil est , inquit , quod sorti illacrymeris meae ; nec me nuncius iste , quem affers , angore conficit , sed molestiis omnibus liberat . Nec difficile sane illi fuit animum ad omnem pietatem et religionem jam a teneris comparatum , tot ingruentibus deinde aerumnis , quibus innocentium sibi in primis carorum hominum virtutem perficere Deus plerumque solet , a terreno regno ita avertere , ut de illo caelesti solummodo cogitaret . Quare cum impetrasset , ut catholici Sacerdotis ope sibi uti liceret , in eo potissimum quae supererant vitae momenta impendenda curavit , ut anteactae vitae culpas pie defleret , et Sacramento Poenitentiae accurate expiaret . Quibus religionis officiis cum sancte integreque functus esset , familiam ad se suam arcessit , postremum alloquitur , amplectitur , consolatur .

Quae vero tunc suorum lacrymae ! qui motus ! quae pietas ! Unus in tanto omnium moerore LVDOVICVS sui securus , nec nisi de suorum dolore sollicitus jam Conjugem amantissimam , jam moestissimam Sororem , jam carissimos Filios , quibus loquendi facultatem extremus dolor interceperat , hilari obtutu , et suavissimis verbis recreabat . *Quid enim , ajebat , vi-*

cem doleatis meam , cui unus idemque futurus sit vitae ac laborum finis ? Cur autem diutius vivam in tanta rerum acerbitate quotidie moriens ? Ne quaeso aerumnarum tempus prorogatum mihi velitis ; atque eo potius respicite , quo mihi brevi commigrandum est . Regnum est , quod proponitur , caeleste , tutum , aeternum , cum terreno hoc et fluxo , et calamitatibus obnoxio commutandum . Quid vobis futurum sit nescio : durate tamen , et quidquid ad ceteras molestias , quas passi hactenus estis , accedere possit , patienter ferte , ut instituistis , ac fortiter : quod si melioribus , ut spero , fatis vobis aliquando uti licebit , mea haec infortunia non ad ulciscendum , sed ad rerum humanarum mobilitatem considerandam , ob oculos vobis ponitote .

Atque haec ille cum diceret , quo firmiore animi constantia , atque oris hilaritate dicebat , eo carissima ejus pignora acriore ab eo dolore divellebantur . Sed a castissimis tandem amplexibus osculisque divelli jubet : iisque sui iterum visendi conveniendique copiam , quam vehementissime expetierant , etsi denegare visus non est , tamen non fecit : ne nimirum eorum dolor ob extremi dissidii acerbiteret recrudesceret , suusque a terrenis rebus jam avulsus ad humana retraheretur animus , et maritalibus iterum paternisque affectibus cor Deo plenum tangeretur .

Medias usque ad supplicium horas sine ulla solli-

ciuidine exegit . Credi vix potest , quae interea mandata dederit , quae scripserit , quam in tranquillo fuerit . Ad extremum compositis rebus omnibus , aliisque curis solutus enixis se Deo precibus commendavit , caelestique Pane religiosissime refici voluit , ut ad postremam illam luctam subeundam paratior et fortior accederet . Cum vero secure confidenterque mortis horam praestolanti feralem currum , quo ad supplicium veheretur , adesse nunciatum est , praesto se esse tanta vocis alacritate respondit , ut non ad mortem trudi , sed e custodia caelo jam jam inserendus educi videretur . O miram in media tempestate tranquillitatem ! Catholicum Sacerdotem , quo Poenitentiae Sacramenti admimistro usus erat , viae comitem voluit , piasque cum eo preces recitans , quibus Christianorum animae sub vitae exitum Deo de more commendantur , ad supplicii locum pervenit . Omnia velut in vasta solitudine tristi silentio muta torpebant : Rex paullulum in curru moratus , ut postremum a Sacerdote expiaretur , patibulum solus interritusque conscendit . Circumfussam multitudinem libera tranquillaque voce alloquenti impius crudelisque satellites , qui supplicio praeerat , silentium indicit ; et nihilominus loquentis verba tympanorum sonitu , tubarumque clangore obstrepi jubet . Inanem impotentis parricidii conatum ! Eruperat enim , eruperat jam et clare omnibus exaudita erat

memorabilis illa ac pene divina Regis vox , qua paulo ante quam augustum securi caput subjiceret testatus est , et innocentem se mori , et iis parcere , qui sibi mortem consciverant : quam vocem qui non admiratur , is mihi aut nihil egregium sapere videtur , aut de pulcherrima et maxime ardua Christianae Religionis virtute idem sentire , ac impii illi parricidae senserunt .

O magnum vere atque in patibulo majorem , quam in solio Regem ! in hoc enim tuum te genus sustulit , in illud virtus adduxit : hic egregiam Regum beneficorum laudem adeptus es , illic immortalem fortissimorum Christianae Religionis Athletarum coronam . O amentes ejus parricidas ! Necastis quidem invisum Regem , sed non totum necastis : nequivistis enim eodem tumulo , quo corpus contemtum elatum , seu potius abjectum obtexistis , illud etiam ejus testamentum obruere , in quo eum adhuc inviti agnoscitis , et cernitis , et tenetis . Quae enim pulchrior , quae verior tanti Regis imago , quam quae in hoc testamento ab ipsa ejus manu adumbrata extat , extabitque in orbis terrae memoriam sempiternam ? Quam in eo vobis ille indignus apparet ! Nam quae animi magnitudo ! qui rerum humanarum contemptus ! quae religio ! quae in Catholicam Ecclesiam , atque in principem hanc Catholicae Ecclesiae Sedem reverentia ! qui amor ! quod studium ! Quid vero ad ejus integri-

tatem ostendendam significantius , quam ille animi dolor , quo se ob appositam , licet invite , vestris illis decretis subscriptionem affici testatur ? Quid Christiano Heroe dignius , quam generosa illa venia , qua injustissimam sibi a vobis conscitam necem rependit ! Quas LVDOVICI virtutes quoties in hoc testamento posteritas intuebitur ac demirabitur , toties etiam cogitabit , quam ille mitis fuit , tam vos crudeles ; quam ille moderatus , tam vos intemperantes ; quam ille humanus et religiosus , tam vos hominum aequae ac religionis inimicos fuisse . O vos igitur miserrimos , quam ille , quem vos miserrimum esse voluistis ! Dolores ille pertulit magnos , acerbissimam mortem oppetiit : at quae dolorum , quae mortis merces ! quam bonis omnibus defletus occidit ! quae gloriae munera ubique gentium persolvuntur illi , quae persolventur ! Vos contra scelerum vestrorum conscientias domesticas veluti furiis quotidie perterriti , dementiae affici praetereo : sileo jam plures ex vobis proditos , profugos , mactatos , plures jam captos , et meritis mox suppliciiis mactandos . Omnium pene Europae Regum , quos et amicissimo Rege sublato , et nefario indicto bello , et crudelissimis in eorum regiones latronum more irruptionibus factis incitastis , quo tandem iram recasuram putatis ? Ex provinciis , quas rapinis , caedibus , sacrilegiis inquinastis , turpiter tandem expulsi forasque projecti in

vestras arces , tamquam in sua Iustra detrusae ferae , confugistis . Qui vero locus tam munitus esse potest , quo tot undique circumsonantium armorum impetus non pervadat ? Quae regio tam abdita , ubi vestrum diutius parricidium latere impune possit , aut monstrum illud consistere abnormis reipublicae , quod ad omnem rempublicam , ad omnem hominum societatem evertendam philosophiae illius vestrae intemperantia peperit , effraenis libidinum licentia protulit , inveteratum religionis odium confirmavit ?

O Gallia , Gallia tam olim amoris et reverentiae in tuos Reges laude praestans , nunc Regis omnium optimi et beneficentissimi caede respersa , quis tibi ex tanta immanitate fructus ? Num illa , quam tantopere praedicas , libertas ? Pulchram enimvero libertatem , qua omnes homines rapiantur , quam sibi gentes universae vindicent ! Effusam omnium libidinum petulantiam , hominum conscleratorum tyrannidem , crudellem omnium vitiorum onerosam , ferream impotentiam ! Sustulisti videlicet omne inter cives discrimen : nemo amplius apud te servus , nemo dominus , nemo nobilis , infimus nemo ; omnes honoribus capessendis , omnes reipublicae gubernandae aequae pares . Sustulisti igitur e vita vitae incolumitatem , otii fundamentum , fortunarum praesidium : rempublicam condidisti non hominum , sed pecudum , in quam , ut aliam omnem inaequalitatem auferres , virium et improbita-

tis discrimen invexisti ; qui nimirum valentiores nequioresque , hi sibi potestatem et imperium vindicent necesse est . Hi te civilibus discordiis teterrimisque bellis implicantes tuorum te civium sanguine et caede macularunt ; hi maximam argenti auriq̄ue vim ex templorum ornamentis , ex Ecclesiarum redditibus , ex Nobilium fortunis direptam aut ad suas libidines explendas sibi congesserunt , aut apud exteras gentes ad excitandas ubique turbas dissiparunt : tibi pro illa rerum omnium , quam ad decipiendum pollicebantur , affluentia , commeatuum inopiam et caritatem , pro numerata pecunia illas nullius pretii schedas reliquerunt .

Exegi , BEATISSIME PATER , funebrem LUDOVICI XVI. laudationem : quae de ejus in gentem suam universam beneficentia , quae de constantia ac mansuetudine in tanta calamitatum atque injuriarum acerbitate perferenda , quae denique de honestissima mortis obitae causa dixi , ea non modo probata esse Tibi , sed aliquod etiam dolori tuo lenimentum attulisse confido : quae vero de ejus parricidarum crudelitate , atque impiis religionem una cum regno in Gallia funditus evertendi conatibus locutus sum , ea justissimae omnium bonorum in teterrimos tam luctuosarum vicissitudinum auctores indignationi condonaturum Te esse spero . Reliquum est , ut fortissimi illi Europae Reges laudentur , qui maximis conscriptis exercitibus , potentissimisq̄ue classibus comparatis ,

uno eodemque studio inflammati in Galliam feruntur ; non ut optimi Regis oppressorem , Regiaeque familiae vexatorem populum persequantur ; cui ut parcant et animi sui nobilitate , et mansuetissimi Regis excitantur exemplo ; sed ut augustum regni Heredem , tantam illam Galliae spem , egregiam ejus Parentem , spectatissimam Amitam , nobilissimamque Sororem , quarum illustrium Feminarum virtutibus diu Gallia eget ut recreetur , ab immanium praedonum furore , indignissimaque captivitate vindicent ; bonis omnibus tranquillitatem , vetus Galliae universae regimen , veteremque religionem restituant . Laudandi etiam sunt invicti Regis Fratres , quorum consiliis hortatibusque Europa prope omnis excitata est ad fraternos hostes frangendos ; quibusque illud in primis propositum est , ut , nefariae conjurationis ducibus profligatis , reliquos Galliae cives non terrore vindictae , sed fraternae clementiae imitatione regii Heredis imperio potestatique subjiciant .

Maxima vero Tibi , BEATISSIME PATER ; debetur laus , quem in tantam regni olim christianissimi perturbationem aeterni Numinis Providentia reservavit , ut corruptae illic Ecclesiae disciplinae corrector , intermortuae Fidei restitutor contingeres ; lapsos in schisma omnium pessimum Christianos adhibitis jam salutaribus monitis , jam fidelibus ministris erigeres , stantes confirmares ; fraudulentas va-

ferrimorum hostium postulationes rejiceres , nefariisque conatibus invictum pectus opponeres , quod cogi non posset . Publicis a Te indictis supplicationibus , tuisque in primis precibus illis , quibus quotidie suam Deo , cui praeesse Te voluit , Ecclesiam adeo enixe commendas , acceptum referre debemus , quod non florentissimas Europae regiones pestiferum illud virus infecit , quod toti Christianorum orbi propinandum impii homines curabant ; quod formidolosae illae Classes , quibus Italiae pestem minabantur , ab Italiae oris expulsae in portus se suos quassatae irrisaeque receperunt ; quod percussae illae palantesque latronum manus ex pulcherrimis aliarum gentium civitatibus projectae jam suas ipsas ab invictis foederatorum Regum armis tueri amplius non possunt . Amisisti quidem , BEATISSIME PATER , tot fortissimos Sacerdotes , quorum sanguine Gallia redundavit : ea tamen Tibi consolatio est , quod cum in Christi Fide defendenda strenue spiritum effuderint , iis , quos profugos peramanter aut excepisti , aut ab aliis excipiendos curasti , in eadem quamprimum , ut speramus , redintegrandae praebebunt domestica exempla virtutis . Amisisti Christianissimum , tibi que amicissimum Regem : at luctuosum ejus interitum etsi vehementer doles , et lugubri pompa gemebundus prosequeris ; causam tamen interitus non lugendam , sed laudandam intelligis : ad hunc enim eum exitum ad-

duxerunt pulcherrimae in Christiano Rege virtutes ,
beneficentia, et religio : quarum cum amplissimo apud
Deum , ut sperare aequum est , praemio perfruatur ,
dubitari non potest , quin qui tam Beneficus fuit , ut
moriens pro suae mortis auctoribus veniam petierit ,
tam Religiosus , ut pro religione regnum vitamque
ipsam devoverit , alteram a Deo facilius impetret , al-
terius in Gallia instaurationem quam citissime asse-
quatur .

*L. Scuderi inv.**C. Antonini sculp.*

10

11

12

13





